



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam**

**Crespin, François**

**Brvxellæ, 1652**

III. Vndè oriatur incertitudo & formido.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

sit attingere objectum materiale spirituale in substantia, inter quæ non est major proportio; supernaturalitas necessariò petenda est à principio (saltem inadæquato supernaturali) naturalitas à principio adæquato naturali; quia non est undè aliundè petatur, maximè, cum subiectum istorum entium supernaturalium, v. g. intellectus, voluntas, anima, &c. sit indifferens, ut entia naturalia, vel supernaturalia in substantia producat vel recipiat; ut patet in actibus fidei, Spei & Charitatis, qui ab omnibus habentur supernaturalibus in substantia, & tamen à principio supernaturali, inadæquato dumtaxat, producuntur, & inadæquato naturali, videlicet intellectu, volun-

tate, anima, &c.

CLVIII. Instabis, *Actus specificantur ab objecto*, etiam ergo, &c.

CLIX. Respondeo distinguendo istud Axioma; *Actus specificantur ab objecto* secundum aliquam rationem specificam, videlicet in ratione actus ut actus diversæ speciei, transeat, de illo enim specialiter in Physica: secundum omnem rationem specificam, videlicet in ratione actus ut speciei entis supernaturalis, vel naturalis, nego: non enim est major ratio, cur actus hanc speciem ab objecto sumant, quam speciem substantiæ & accidentis, spiritualis & materialis, &c. quam ab illo non sumunt, ut consideranti patebit.

## DISPUTATIO TERTIA

### De Opinione, errore, & fide.

#### DVBIVM I.

*Quid opinio, & qua formido sit ei essentialis,*

#### RESOLUTIO I.

CLX. **D**ico 1<sup>o</sup>, *Opinio est iudicium incertum & inevidens, cum formidine actuali vel virtuali de opposito.*

#### QVÆSTIVNCVLA I.

*An incertitudo, quæ est de essentia opinionis sit quidpiam negativum,*

CLXI. **R**espondeo negativè, quia nihil aliud est, quam debilitas & infirmitas ipsius iudicii opinativi, admittentis dubium aliquod, ne fortè contrarium sit verum: certum autem est, quòd tale iudicium, à quo debilitas & infirmitas illa non distinguitur, sit positivum; commodè tamen explicatur illa incertitudo per negationem certitudinis ad Scientiam requisitæ, quasi diceretur, non est tanta certitudo, ac ad Scientiam requiritur.

#### QVÆSTIVNCVLA II.

*Quid formido actualis & virtualis, in quas formido secatur.*

CLXII. **A**ntè Responsum. Suppono formidinem hinc sumi pro actu intellectus, non autem pro actu voluntatis, ut propriè sumi solet. Hoc notato

CLXIII. Respondeo formidinem actualem (quæ etiam dicitur formalis & formido in actu 2<sup>o</sup>) esse iudicium reflexum, sive quo intellectus reflectens supra iudicium suum incertum & inevidens, iudicat expressè oppositum fortè esse verum, ut v. g. si, cum iudicavi omnem matrem diligere filium, reflectens supra hoc iudicium expressè iudicem, aliquam fortè esse, quæ filium non diligit.

CLXIV. Virtualis autem (quæ radicalis & in actu 1<sup>o</sup>, etiam dicitur) non est aliud, quam ipsemet actus opinativus, tam debilis & infirmus, ut si intellectus supra illum reflecteret, iudicaret expressè oppositum fortè esse verum; hæc autem formido

virtualis confunditur cum incertitudine positiva, de qua ante num. 158.

#### QVÆSTIVNCVLA III.

*Vnde oriatur incertitudo & formido.*

CLXV. **R**esp. objectivā oriri ex mutabilitate, seu fallibilitate objecti; cum scilicet objectum est contingens & non necessariam terminorū connexionem importans, sed talem, ut possit esse & non esse; formalem verò esse illam, quæ se tenet ex parte intellectus præcisè, ex eo videlicet, quòd intellectus assentiat conclusioni objectivæ, vel necessariæ, per medium quidem necessarium, sed putans tantum esse probabile; vel probabili propter medium probabile cognitum tale; nam, ut supra insinuatum est, medium conclusionis scientificæ debet cognosci ut necessarium, ad hoc ut conclusio sit certa ex parte intellectus, sive formaliter.

#### RESOLUTIO II.

CLXVI. **D**ico 2<sup>o</sup>, *sola formido virtualis est essentialis Opinioni, non actualis.*

CLXVII. Probatur 1<sup>o</sup>, pro 2<sup>a</sup> parte (nam 1<sup>a</sup> pars patet) quia datur opinio sine formidine actuali, ut cum assentior conclusioni probabili nihil expressè cogitando de opposito, an fortè non sit verum; ergo, &c. antecedens experientiā notum est, & conforme Aristoteli Topic. 3<sup>o</sup>. cap. 3. ubi asserit, *Nonnullos per Opinionem dubitare*, ac proinde è contrā, nonnullos non dubitare, scilicet actualiter.

CLXVIII. Probatur 2<sup>o</sup>, actus, qui differunt objectis, distinguuntur realiter; sed aliud est objectum Opinioni, aliud formidinis actualis; ergo, &c. probatur minor, nam objectum Opinioni est, v. g. *Omnis mater diligit filium*, objectum verò formidinis actualis est, *Fortè verum est esse aliquam matrem, quæ non diligit filium*, vel fortè falsum est, *omnem matrem diligere filium*; sed hæc objecta sunt diversa; ergo, &c.

CLXIX. Probatur 3<sup>o</sup>, actus directus & reflexus de eodem objecto realiter distinguuntur; sed opinio & formido actualis se habent instar actus directi & reflexi; ergo, &c.